



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Respondeo quod quando dicitur de ratione A virtutis esse, dispoere subiectum ad operandum convenienter ad naturam in eo præexistentem, hoc debet intelligi de virtute habente statum & perfectam rationem virtutis, & existente in suo subiecto connaturali: fides autem & spes, prout sunt in peccatore, cum sint informes, non habent statum & perfectam rationem virtutis, nec sunt in subiecto connaturali: unde sicut calor in aqua, ubi est in esse imperfecto, præternaturali, ac violento, non supponit in illa esse proportionatum ad calefaciendum, ita nec fides & spes in peccatore supponunt esse supernaturale proportionatum operationi & fini supernaturali. Hoc autem non potest habere locum in charitate, cum illa sit essentialiter virtus perfecta, & habeat modum & statum virtutis, nec possit in esse imperfecto, & informi, ac veluti violento reperiri, sicut fides & spes.

167. Quarto probatur conclusio: Gratia est radix charitatis, & aliarum virtutum infusarum, sicut essentia est radix suarum proprietatum: Ergo distinguitur realiter a virtutibus. Antecedens patet ex dictis art. 4. §. 3. corol. 2. & potest adhuc suaderi. Nam gratia est terminus dilectionis quæ Deus nos diligit in ordine ad finem supernaturalem: Ergo sicut talis dilectio est radix omnium bonorum supernaturalium, quæ nobis proveniunt a Deo, ita & gratia ex sua speciali ratione habet quod sit origo omnium virtutum. Consequentia verò probatur: Si gratia est radix virtutum, sicut essentia proprietatum, debet habere in ipsa aliquem influxum activum, qui dicitur resultantia, essentia enim est causa hoc modo activa suarum proprietatum, ut demonstrant nostri Thomistæ in Philosophia: Sed influxus activus supponit distinctionem inter causam & effectum: Ergo si gratia est radix virtutum, sicut essentia proprietatum, distinguitur realiter ab illis.

168. Denique suaderi potest conclusio. Charitas est inclinatio in ultimum finem: Ergo supponit naturam a qua dimanet, scilicet gratiam. Consequentia probatur: Tum quia universaliter omnis propensio in aliquem finem, supponit naturam cuius est inclinatio, ut patet in gravitate & levitate: Tum etiam, quia ideo processio Spiritus Sancti non est per modum naturæ, nec generatio, quia est per modum impulsus seu inclinationis, quæ necessarii supponit naturam, cuius est inclinatio.

169. Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio ex doctrina quam tradidit S. Thomas q. 27. de verit. art. 2. In quolibet ordine rerum quatuor reperiuntur, substantia scilicet seu natura rei, finis ipsius, inclinatio ad talem finem, & motus seu rendentia in illum: v.g. in lapide est propria natura, consistens in hoc quod sit corpus mixtum talis speciei, finis, qui non est alius quam quies in centro; gravitas, quæ est propensio seu inclinatio in ipsum; & descensus, qui est motus seu tendentia in illum. Similiter etiam in ordine supernaturali hæc quatuor debent reperiri: unde in tali ordine gratia tenet locum substantiæ seu naturæ; visio beatifica habet rationem finis; charitas est inclinatio in illum; & motus ejus sunt operationes elicite ab aliis virtutibus infusis, quæ dantur ad exequenda opera quibus talis finis acquiritur. Et ideo (subtiliter S. Doctor) sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa quam inclinatio naturæ, & ejus motus, vel operatio; ita & in gratuitis est aliud gratia a charitate, & a ceteris virtutibus.

Obijcies primo: Tridentinum sess. 6. cap. 7. 170. hæc tria solum dicit in justificatione infundi, scilicet fidem, spem, & charitatem, nulliusque alterius habitus infusi meminit: Ergo cum certum sit in justificatione gratiam habitualement infundi, eam Concilium nomine charitatis intellexit, subindeque censuit esse unum & eundem habitum.

Respondeo Concilium sub nomine charitatis 171. comprehendere etiam gratiam habitualement: non quod sint unus & idem habitus, sed quia inter se necessario connectuntur, & nunquam ab invicem separantur. Non expressit autem Concilium specialiter gratiam: tum quia initio ejusdem capituli mentionem illius fecerat, dicens justificationem esse renovationem interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: tum etiam quia can. 11. mentem suam aperte declarat his verbis: Si quis dixerit homines iustificari, vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhaereat, anathema sit. Ibi enim distinguit gratiam a charitate, cum diversis nominibus eas exprimat; aliâ ineptam battologiam committeret, quæ tunc committitur, cum plura nomina ad eandem rem significandam assumuntur, uno eorum satis eam exprimente. Nec obstat quod postea allumat verbum singularis numeri, nempe, diffundatur, atque inhaereat: illud enim fecit more grammatico, volens verbû respondere proximiori nomini, non autem duobus quæ assumpserat.

Obijcies secundo: A Scripturæ & SS. Patribus 172. iidem effectus gratiæ & charitati tribuuntur; per utramque enim dicimur iustificari, vivere vitam divinâ & supernaturalem, filios Dei adoptivos fieri, utraque dicitur operire multitudinem peccatorum, discernere inter filios Dei & diaboli, ac esse radix meriti vite æternæ, juxta illud Gregorii Magni homil. 27. in Evang. Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis: denique sicut per gratiam Deo ut sponso conjungi dicimur, ita etiam per charitatem anima Deo maritatur, ut ait D. Bernardus serm. 93. Ergo non distinguuntur realiter, sed sunt unus & idem habitus, qui secundum quod obit diversa munia, diversis nominibus inhiungitur.

Respondeo primò, eosdem effectus gratiæ & 173. charitati tribui, non quod sint unus & idem habitus, sed quia sunt inseparabiliter inter se connexa: quæ de causâ Apostolus 1. ad Corinth. 3. effectus benignitatis & patientiæ tribuit charitati, non quod sint unus & idem habitus, ut satis constat, sed quia inseparabiliter charitatem ipsam concomitantur.

Respondeo secundo, quod licet multi gratiæ 174. effectus tribuantur etiam charitati, propter connexionem & mutuam concomitantiam utriusque, tamen aliter tribuuntur gratiæ, & aliter charitati, scilicet gratiæ ut primæ radici, charitati verò ut fructui illius. Præterquam quod aliqua est gratiæ excellentia, quæ non tribuitur charitati, scilicet dare primum esse supernaturale: atque adeo esse naturam ordinis supernaturalis, & originem ac primam radicem omnium motuum supernaturalium.

Respondeo tertio, quod quando in Scriptura 175. effectus gratiæ tribuuntur charitati, non accipitur cha-

charitas, ut solum est habitus, quo Deum diligimus, sed etiam prout est vinculum amicitie inter nos & Deum, quo & ipsum diligimus, & vicissim ab eo diligimur, in quo sensu charitas continet sub se habitum gratiæ, quæ est effectus dilectionis, qua Deus nos diligit: eodemque modo charitatem usurpant SS. Patres, cum eam à gratia habituali non distinguunt.

176. Obijcies tertio: Si gratia sanctificans non est habitus operativus, erit otiosa & inutilis, subindeque imperfectior charitate: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

177. Respondeo negando sequelam: Etsi enim gratia non sit habitus immediate operativus, non potest tamen dici otiosa: Tum quia operatur per virtutes infusas, quæ ab ipsa emanant ut proprietates ad instar animæ, quæ per suas facultates operatur: Tum etiam, quia dat homini esse divinum & supernaturale, quod se habet in anima sicut pulchritudo in corpore; unde si- cut pulchritudo non dicitur otiosa, licet non o- peretur, sic neque gratia.

Obijcies quarto: Charitas dicitur forma omnium virtutum: Sed informatio virtutum fit per gratiam, per quam opera redduntur meritoria: Ergo videtur quod gratia sit idem quod habitus.

Respondeo ex D. Thoma in 2. dist. 26. qu. 1. art. 4. ad 5. quod charitas alio modo dicitur forma virtutum, quàm gratia: charitas enim est forma virtutum ex parte actus, in quantum scilicet omnes actus virtutum in suum finem revocat, eo quod ejus ob- jectum est finis ultimus. Sic enim est in omnibus po- tentijs, & artibus ordinatis, quod illa, quæ altiore finem respicit, largitur formam arti, quæ sub ipsa est, cuius alius in suum finem ordinatur, sicut gubernator ostendit fatori navis, qualis debeat esse forma timonis. Unde charitas informat alias virtutes, sicut virtus vir- tutem: sed gratia informatur per modum originis, quia scilicet ex ipsa gratia quodammodo formaliter oriuntur habitus virtutum per diversas potentias dis- fusi; illud autem, quod ab alio oritur, formam & spe- ciem ab eo trahit, & in suo vigore consistit quamdin origini continuatur: & ideo non oportet quod gratia sit idem quod charitas, quamvis charitas nunquam possit esse sine gratia.

178. Obijcies ultimum: Si gratia & charitas realiter distinguerentur, possent ab invicem separari saltem de potentia Dei absoluta: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor probatur: Si ali- quis homo haberet gratiam sine charitate, esset Deo gratus & acceptus, imò & filius ejus ado- ptivus, & tamen non esset ejus amicus; quod vi- detur absurdum. Item si alicui infunderetur cha- ritas sine gratia sanctificante, ille nec damnare- tur, cum nullum haberet peccatum, quod cum charitate incôpossibile est; nec salvaretur, quia cum non esset filius Dei adoptivus, esset inca- pax hereditatis, & cum non esset indutus veste nuptiali ac pollicita gratiæ sanctificantis, non posset esse sponsi celestis conviva, & indignus esset, quod admitteretur ad convivium illud æ- ternum, in quo iusti epulantur & exultant in conspectu Dei: quid ergo fieret de illo homi- ne, qui nec salvari, nec damnari posset?

179. Respondeo negando Minorem. Ad cujus primam probationem dicendum est, quod ille, cui infunderetur gratia sine charitate, esset a- micus Dei radicaliter & remote, quia haberet gratiam, cui tanquam radici principium dili- gendi Deum deberetur. Ad secundam dico, ea-

sum illum esse impossibilem: licet enim Deus de absoluta potentia, essentiam à suis proprietatibus separare possit, earum resultantiam impe- diendo, non potest tamen facere, quod aliqua proprietas existat in aliquo subiecto sine essen- tia, à qua distanat, præsertim si talis proprietas sit vitalis: v.g. licet Deus possit creare animam rationalem sine intellectu & voluntate, non po- test tamen intellectum aut voluntatem sine ani- ma rationali producere, aut conservare; quia cum illa potentia sint vitales, sine principio vi- tali, in quo radicantur, subsistere nequeunt; unde cum charitas sit potentia vitalis ordinis su- pernaturalis, non potest existere sine gratia san- ctificante, quæ est prima radix vitæ supernatura- lis, & quæ in ordine supernaturali gerit vices naturæ, seu substantiæ. Quare D. Thomas loco in solutione præcedentis argumenti adducto ait in terminis, quod charitas nunquam potest esse sine gratia.

180. Respondeo secundo, quod si per impossibile charitas esset in aliquo homine sine gratia, ille nec damnaretur, quia non haberet peccatum; nec salvaretur, quia non esset ad gloriam ido- neus; sed, ut dicit Capreolus, pertineret ad divi- nam providentiam ei providere, vel de gratia, qua fieret ad gloriam idoneus, vel de aliquo alio sine ultimo ipsi proportionato, qualis esset notitia abstractiva Dei ut authoris tam super- naturalis, quam naturalis.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ

181. EX dictis inferes, gratiam habituales subje- ctari immediate in anima, non autem in vo- luntate. Ita D. Thomas hic art. 4. & omnes Au- thores, qui docent gratiam distingui realiter à charitate.

Probatur primo: Si gratia poneretur imme- diatè in potentijs animæ, non verò in ejus essen- tia, esset proxime & immediate operativa, quod enim perficit potentiam per se primò ad ope- rationem ordinatam, est immediate operati- vum: Sed gratia non est immediate & per se ip- sam operativa, ut probant rationes, quibus o- stendimus eam distingui realiter à virtutibus: Ergo non residet in potentijs animæ, sed in e- jus essentia.

Secundo, Dona supernaturalia, quæ sunt parti- cipationes intellectus & voluntatis Dei, recipi- untur immediate in intellectu & voluntate: Ergo illud, quod est participatio naturæ ut natura est, debet in ipsa animæ essentia immediate recipi.

Tertio, Effectus formales gratiæ per se primò insunt animæ, & non ejus potentijs: Ergo & gratia. Consequentia patet, cum enim effectus formalis formæ nihil aliud sit, quàm ipsa forma ut communicata subiecto, in eo subiecto residet immediate forma, cui tribuit suum effectum for- malem. Antecedens verò probatur: Effectus formales gratiæ sunt præcipue duo, nimirum dare esse & vitam supernaturalem, & reddere Deo gratum: Sed illi effectus per se primò con- veniunt animæ; esse enim, & vivere, seu esse, principium radicale vitæ, per se primò conve- nit animæ, & non potentijs; Similiter esse gra- tum, per se primò respicit non operationes, vel potentias, sed subiectum; quia enim illud est gratum, operationes sunt gratæ, & ac-

ceptæ,